



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, &  
Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos  
attinentibus**

**Engel, Ludwig**

**Salisburgi**

Cap. 8. De Obligatione prædicandi Verbum Divinum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40922**

cum Missis, instituere & alijs rursus pro majori  
mercede elocare, Declarat. Card. apud Barb. in  
collect. ad Concil. Trid. s. 22. de sacrif. Miss. n. 6.  
& seq.

## CAPUT VIII.

### De Obligatione Parochi prædi- candi Verbum Divinum.

#### SUMMARIA.

1. Diebus festiuis non debent negligere Parochi  
Conciones, & instructionem puerorum.

2. Quid in Concionibus proponendum.

3. Non tenentur hodie Parochiani Missam &  
Conciones diebus festiuis in propria Parochia  
audire, videtur tamen decere, ut aliquos  
in anno propriam parochiam accedant.

1. **V**erbi divini prædicatio utique ad munus  
pastorale quam maxime pertinet, ideo in-  
stanter præcipit Concil. Trid. s. 5. de ref. c. 2.  
s. 22. de sacrif. Miss. cap. 8. & s. 24. de ref. cap. 4  
ne saltem dominicis, & festiuis diebus Concio-  
nes negligent Parochi, & ut pueros rudimenta  
fidei, & obedientiam erga D E U M & parentes  
diligenter doceant.

2. Porro ex eodem Concil. Trid. est adverten-  
dum Parochis, ut in Concionibus suis postpositis  
inutilibus questionibus doceant plebem cum bre-  
vitate, & facilitate sermonis, quæ scire necessa-  
ria sunt ad salutem, vitia quæ declinare, & vi-  
tutes, quas sectari oporteat. Specialiter in a-

s. 22.



DE OBLIGATIONE CONCIONANDI. 165

s. 22. c. 8. jubetur, ut frequenter Parochi ex ijs  
qua in Missa leguntur, aliquid exponant, ac inver-  
catera sanctissimi hujus Sacrificij Mysterium ali-  
quod declarent. Item in decreto de purgat. s. 25.  
mandatur Episcopis, ut sanam de purgatorio do-  
ctrinam, à SS. Patribus & sacris Concilij tradita-  
m à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubi-  
que prædicari, diligenter studeant. Apud rudem  
verò plebem difficiliores, ac subtiliores quæstiones,  
quaque ad edificationem non faciunt, & ex quibus  
plerumque nulla fit pietatis accessio à popularibus  
Concionibus secludantur. Incerta item, vel qua spe-  
cie falsi laborant, evulgari, ac tractari non permit-  
tant. Ea verò qua ad curiositatem quandam, aut  
superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt,  
tanquam scandala, & fidelium offendicula prohi-  
beant.

Cæterū licet de jure videatur requiri, ut 3  
Parochiani non alibi, quam in sua Ecclesia  
parochiali Missas & Conaciones audiant. cap. 2.  
de Parochijs & Trid in decreto Observ & Evit.  
in Missa. s. 22. & in d. s. 24. c. 4. Hodie tamen  
per privilegia Regularium & contariam consue-  
tudinem passim huic juri derogatum est, ita ut  
parochiani satisfaciant, si alias Ecclesijs, præ-  
sertim Regularium, frequentent, dummodo  
proprium Parochum non contemnant. Barb. de  
off. Par. p. 1. c. 11. n. 24. & seqq. & c. 15. n. 11.  
& 14. in fin. Ne autem quis censeatur proprium  
Parochum contemnere, ratio naturalis suadere  
videtur, ut saltem aliquoties in anno Missas &

L 3 Con-



Conciones ejusdem audiat. Vix enim est, ut non habeatur filius contumax, qui toto anno Patrem non invisit Ovis erraticā, quæ nunquam vocem proprij pastoris exaudit. Zyp. in Anal. Jur. Pont. in tit. de Parochiis sub n. 2.

## CAPUT IX.

### De Obligatione Parochi & Parochianorum observandi Jejunia & Festa.

#### SUMMARIA.

1. Jejunium incidens in bacchanalia potest anticiari.
2. Quales cibi interdicti in jejunio.
3. De Refectione.
4. De tempore refectionis.
5. Causæ excusantes à jejunio.
6. Hæreticorum fides ex contemptu jejunij suspecta, comparantur dissolutis monachis.
7. Praeceptum de observatione Festorum duplex.
8. Quænam dicantur opera liberalia & quæ servilia.
9. In quibus casibus licet in die festo opus servile facere.
10. Ut opus servile in festo licet fiat, requiruntur consensus Episcopi vel saltem Parochi.
11. Festum incipit à media nocte, & durat usque ad medium noctem.
12. Quæ causæ excusent ab auditione Missæ in die festivo.
13. Dies festi non sunt agendi per luxum & comensationes.
14. Nihil.

